



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

De impedimentis Matrimonij contrahendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

nexum ac vinculum non dirimere; longè tamen aliter
 senserunt antiquiores Zuuingliani, vt videre est in dua-
 bus Epistolis Leonis, Iudæ, Zuuingliani Stentoris
 Tigurini, ad Vadianum Sacramentarium Sangallensem,
 vbi ex doctrina quoque Zuuinglij, vt profitetur, longè
 alia canit, quàm Calvinus vel Beza. Et ipse etiam Va-
 dianus in Epistola ad Zuuickium Constantiensem insi-
 pientissimè de seruorum coniugio fatuatur; vt proinde
 magnum non operè, sed stultitiæ suæ pretium fecerit, &
 rulerit Calvinista Goldastus, cum huiusmodi non E-
 pistolas, sed quisquilias in Tomum Tertium rerum A-
 lamannicarum retulit.

De impedimentis Matrimonij contra- hendi.

Quæritur XVII. Quid sentiendum de impedi-
 mentis matrimonij? Respondet Lutherus in sermone de
 Matrimonio; *aut nihil, aut parum. Nam duodeuiginti cau-
 sas in suo iure effinxit Papa, quibus omnibus matrimonium
 vel dissipet, vel impediatur, quas tamen fere omnes & reicio &
 condemno.*

In Captiuitate Babylon: cap. de Matrimonio ita furit
 (non enim dicere possum, scribit) vesanus Apostata:
*Vagatur passim non parua opinionis liber ex colluue omnium
 humanarum traditionum, ceu sentina quadam, collectus &
 confusus, qui summa Angelica inscribitur, cum verius sit,
 Summa plus quàm diabolica; in quo inter infinita porten-
 ta, quibus confessores instrui putantur, dum perniciosissimè
 confunduntur, decem & octo matrimonij impedimenta nume-
 rantur, quæ, si a quo & libero fidei oculo inspexeris, videbis
 esse de numero eorum, de quibus Apostolus prædixit: Erunt*

E.e.

atten-

attendentes spiritibus dæmoniorū, in hypocrisi loquē-
tium mendacium, prohibentium nubere. *Quid est pro-
hibere nuptias, si hoc non est prohibere, tot impedimenta fin-
gere, & laqueos ponere, ne coëant, aut si coierint, dissoluere ma-
trimonia? Quis dedit hominib. hanc potestatem? Esto, fuerint
sancti & pio zelo ducti, quid meam libertatem vexat aliena
sanctitas? quid me captiuat alienus zelus? Sit sanctus & zelo-
tes quisquis volet, & quantum libet, modò alteri non noceat,
& libertatem mihi non rapiat.*

In hunc modum contra Matrimonij contrahendi im-
pedimenta vociferari debuit Lutherus; aliò qui, stante
auctoritate veterum legum, nunquam mortalibus per-
suadere potuisset, matrimonium Monachi cum Mo-
niali, quod postea contraxit, licitum esse. Itaque vt su-
periora in suam & sibi similium nuptiatorum gratiam
effutiuit; sic & sequentia non alia mente detonuit, quàm
vt sibi & suis ad nuptias incestas aditum aperiret; & o-
mnia propemodum honestatis repagula perfringeret.
Vociferatur Lutherus.

*Dico, & quod in me est, facio, monens & rogans omnes sa-
cerdotes & fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo
Papa potest dispensare, & quod non est in scriptura expressum,
vt ea matrimonia confirmet, qua contra Ecclesiasticas, tyran-
nicas, vel Pontificias leges fuerint contracta. Arment au-
tem se lege diuina dicente; Quod Deus coniunxit, homo non
separet.*

En iterum disertè nullos alios gradus vetitos esse af-
firmat, nisi quos lex Mosaica vetuit. Nam extra
hanc, non extat in sacris literis vllum de
certis quibusdam gradibus in-
terdictum.

Anti-